

Dissertatio medica inauguralis, de methodo medendi variolam : praecipue auxilio mercurii quam ... pro gradu doctoratus ... / eruditorum examini subjicit Thomas Fowler, Britannus.

Contributors

Fowler, Thomas, 1736-1801.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie ..., 1778.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zjya4gv9>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



61468/10

D I S S E R T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S,

D E

Methodo medendi Variolam; prae-
cipue Auxilio Mercurii.

Q U A M,
A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P r a e f e c t i ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,
E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ,
P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,
S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;
E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

T H O M A S F O W L E R ,

B R I T A N N U S ,

S o c i e t a t i s M e d i c a e E d i n e n s i s S o c i u s ,

N E C N O N

S o c i e t a t i s P h y s i c o - C h i r u r g i c a e E d i n e n s i s

S o c i u s H o n o r a r i u s .

A d d i e m 12. S e p t e m b r i s , h o r a l o c o q u e s o l i t i s .

— ad Societatem et Communitatem Generis humani nati su-
m u s ; itaque semper aliiquid ad communem Utilitatem debemus af-
fere .

C I C E R O .

E D I N B U R G I :

A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M,DCC,LXXXVIII.

1778

348376

Viro Celeberrimo,

ALEXANDRO MONRO, M. D.

Rei Anatomicae Professori ;

Non solum artis propriae,

Sed etiam Physiologiae, Praxeosque scientia,

Dignissime nobilitato ;

Ob plura beneficia in se collata ;

Nec non viro egregio,

ANDREÆ DUNCAN, M. D.

Rei Medicae Praeceptor ;

Comitate, diligentia, doctrina, ingenioque

Praeclaro ;

Ob benignantatem, atque amicitiam,

Quibus eum semper tractavit,

Hanc dissertationculam sacram esse voluit

THOMAS FOWLER.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30385064>

D I S S E R T A T I O M E D I C A,

I N A U G U R A L I S,

D E

Methodo Medendi Variolam; prae-
cipue auxilio Mercurii.

MEDICINÆ studio, in Academia hac
celeberrima, per quadriennium jam
operam dedi; atque annus octo-
decimus ferme elapsus est, ex quo artem
salutiferam excolere inchoavi. Hinc for-
tasse dissertiunculam, quam ex hujus Aca-
demiae legibus, nobilissima coram Facultate

A*lio* i*n* *medica,*

medica, defensurus sum, ad praxin, potius quam ad theoriam, pertinere, expectabitur.

Huic expectationi lubenter responsurus, pro argumento Variolam selegi; qui morbus ab omnibus maximi momenti esse conceditur. Hic morbus p[re]e aliis arridebat; quia multae occasiones ejus observandi, et tractandi, mihi contigerunt.

Quandoquidem verum origo, phaenomena, et discrimina, hujusc[em] morbi, auctori- bus variis celeberrimis magnopere indagata et erudite explicata sunt, methodum trac- tandi generalem solummodo tradere volo: In qua praesertim ponam quicquid ex pro- pria experientia, per annos plures, explora- tum habeo. Deinde argumenta nonnulla adducam, quare mercurius in hoc malum vi quadam specifica gaudere, praecipue in stadio ejus eruptivo, mihi videatur.

Variolam in stadia tria dividere placuit.

imo, In stadium eruptivum, quod, ab ac- ceSSIONE febris eruptivae ad eruptionis ex- pletionem usque, pertinet.

2do, In stadium inflammatorium, ab ex- pletione,

pletione, nempe, febris eruptivae, donec debilitatis vel putredinis signa superveniant.

3tio, In stadium debile, vel putridum, ab ortu signorum primo debilitatis vel putredinis, usquedum evanescant.

S T A D I U M P R I M U M.

In stadio eruptivo, summa ope conandum est, copiam materiae variolosae in systemate imminuere:

1mo, Mercurium, quasi specificum, exhibendo.

2do, Reactionem systematis temperando, Catharticis, Diaphoreticis Aquofis, Opiatis, Missione Sanguinis, Regimine Antiphlogistico, praecipue, corpore mediocriter vestito, liquoribus acescentibus et aquosis, et usu aëris puri libero.

Mercurium, quasi specificum exhibendo.— Mercurius, ab observationibus pluribus, quae mihi innotuerunt, copiam materiae variolosae in systemate circulantis, quasi antidotus minuendo agere videtur. Inde, pro norma generali tradere licet, quod tantum ejus admistrare

nistrare oportet, febre eruptiva durante, quantum intestina et sistema plerumque ferre possint. Sed de re tanti momenti ut specialiter loquar necesse erit.

Cum ad aegrum accersamur, inter febrem eruptivam, quae, accessione subita, vomitu, ex epigastrio presso dolore *, et morbo in vicinio græstante, saepissime innotescet, statim exhibeatur dosis plena cathartici mercurialis, ut dejectiones liquidae quinque vel sex eliciantur, et alterno quoque die eadem repetatur.

Formulae sequentes, in universum a me fuerunt usurpatae.

R. Mercurii dulcis sublimati ppt. drachmam dimidiam
Pilularum ex colocynthide cum aloe drachmam unam
Contundendo bene misce, ut fiat massa pilularis.
Dosis pro adultis circiter drachmam dimidiam
Dosis pro aegris, annos decem natis, circiter scrupu-
lum unum.

R. Mercurii dulcis sublimati, ppt.

Pulveris radicis jalapii

Florum

* Gener. morb. Culleni, p. 288. G. 26.

Florum sulphuris, singulorum drachmam unam.

Diligenter misce.

Dosis pro aegris annos quinque habentibus, grana
quindecim

annos tres habentibus, grana duo-
decim

Dosis pro infantibus annum unum natis, grana octo

Si autem non detur copia aegrum viden-
di ante vesperem, ut purgationis nocturnae
incommoda evitentur, statim capiat eandem
dosis calomelanos sine cathartico, et mane
sequente salis Glauberi aqua soluti unciam
unam, vel unciam unam cum dimidio, vel
haustum ex infuso senae cum manna, ut
dejectiones tot excitentur, quot a pilulis vel
pulveribus.

In universum infantibus, et aliquando pu-
erulis, duae tertiae partes dosis cathartici pri-
mo administrentur, et post horas quatuor
residuum, si non antea alvus fuerit soluta.

Si primo advenientes aegrum nausea et
praecordiorum oppressione magna laboran-
tem reperiamus, postponendum est mercuri-
ale, et ventriculum evacuandi, symptoma-
que hoc mitigandi gratia, dosis ipecacuanhae

vel

vel tartari emetici modica, quamprimum exhibenda est. Vomitu peracto, et hora una vel altera elapsa, catharticum mercuriale vel calomelas simplex detur; quia nunc certius retinebitur in ventriculo, et effectus edet operatos.

Capiat quoque aeger, diebus e catharticis vacuis, massae pilularis mercurialis pharmacopoeiae Londinensis grana quinque, vel ejusdem massae pharmacopoeiae Edinensis grana decem, pro adulto.

Si autem, non ante stadii medium eruptivi, accersamur, si signa saeviant, et variolam confluentem minentur, et aeger plethoricus sit, spatium periodi hujuscce breve reliquum, in qua sola morbi copiam minuere sperare est, nos specificum catharticum singulo die administrare monet, donec pars eruptionis major apparuerit.

Reactionem systematis temperando.—Praeter varietatem, in hoc morbo a feminio orientem, quae non minima est, variola, vi quasi fermenti, quibusdam rebus comitantibus, praecipue febre acuta, se multiplicare videtur; unde purgationis, regiminisque refrigerantis,

frigerantis, utilitas, ad febrem imminuendam, omnibus in aperto erit.

Catharticis.—Haec cum mercurio, juxta modum jam descriptum, optime exhibentur, et, reactionem systematis minuendo, usus haud spernendos edent.

Opiatis.—Unaquaque nocte post operationem cathartici mercurialis, dosis laudani liquidi rite administretur ; quoniam utile erit, ut intestina sedentur, et aeger ad diaphoresin paretur.

Diaphoreticis aquosis.—Die primo vesperi commodum erit in balneo subterido, per spatium temporis breve, totum ablui corpus, ad cutem emundandam, et sic ad perspirationem faciliorem disponendam. Deinde omni nocte, dum adsit febris eruptiva, haustulos tepidos iteratos infusi melissae, vel seri lactis cum aceto parati, aeger sumat, donec dia-phoresis leniter excitetur.

Missione sanguinis.—Aliquando symptoma-ta graviora missione sanguinis postulant, quae hirudinum applicatione partibus praeci-pue affectis optime perficitur ; nisi detractio sanguinis

sanguinis modica e brachio anteponatur: Attamen plerumque evacuationes liberae per alvum, et regimen antiphlogisticum reactionem systematis adeo temperabunt, ut detractio-
ne sanguinis vix ulla opus fuerit.

Regimine antiphlogistico.—Hoc regimen probe descriptum est in celeberrimi Professo-
ris Culleni Primis Lineis, a No. 123. ad No.
126. et singulatim observari debet; namque
post mercurium, in hoc et proximo stadio
morbi, utilissimum est: Igiturque, de re tan-
ti momenti, paulo fusius tractare libet.

Corpore mediocriter vestito.—Hic intelli-
gi vellem, neque vestes, neque stragula, ullo
tempore addenda, ad ea quibus sanus sepe
assueverit: Tempore autem aestivo, ex his
aliquantulum detrahendum est. Hujus cau-
telae ratio omnibus facile venit in mentem,
nempe, ne corpus vestimentis caleat.

Liquoribus acescentibus et aquosis.—Hi
maxime valent, et ad libitum frigidi sumen-
di sunt, quales, aqua fontana, aqua cum suc-
co limonum vel aurantiorum grate acidula-
ta, serum lactis, et lac aqua mixtum. Hoc
ex duabus aquae, lactis tertia parte paratum,
diu

diu expertus sum potum efficere gratissimum, qui in omni febris genere propinari potest ; et in nulla salubrius quam in variolosa. Hoc enim commodi affert, ut, dum sifitum mitiget, aegrumque refrigeret, aliquid etiam nutrimenti praebeat.

Usu aëris puri libero.—In hunc finem, in cubiculo lato, lecti velis utrinque saltem retractis, aegrotus dormiat. Si languor debilitasve haud nimis aegrum urgeat, quotidie lectum deserat, et, si coelum sit serenum, aëre fruatur aperto. Si autem vires maxime deprimantur cum algore caloreque alternantibus, et dolore capitis lumborumque gravi, sufficiat ut, fenestris superne apertis, aér per cubiculum perflet, aegerque per aliquod diei spatium e lecto surgat, atque per cubiculum circumambulet, et, cum defessus sit, interdum vestitus supra lectum decumbat. Porro, si hiems sit, et tempesta frigidior, ignis pro cubiculi magnitudine parvus accendatur, ita ut neque cubiculum neque aeger caleat ; sed aér solum ad temperiem mitem redigatur. Etsi enim regiminis anti-phlogistici me fautorem esse strenuum fate-

or; tamen haud ultra justos limites eo uti vellem.

Vix seculum elapsum est, ex quo variolosi, aëre clauso vitiatoque pene suffocati, et alexipharmacis maxime calefacientibus exusti *, pericula praxeos, procul dubio, pessimae subierunt.

Sed ut tantum errorem evitemus, nequam certe necesse est, ut aegrotus frigore pereat, pluviis, nivibus, geluque hieme saeviente objectus, quandoquidem hoc utili remedio multo satius modo leniori uti posset. Natura ab extremis abhorret, et nihil certius ad praxin, alioquin bonam, explodendam conducit, quam quod a medio illo tutissimo latius aberrare videtur.

Denique, hoc stadio ad finem perducto, si pustulae discretae, et numero modicae sint, aegrotus auxilii a medico aliquid vix ultra desiderabit. Regiminis refrigerantis continuatio, cibaria vegetabilia ad libitum usurpata, dejectio una vel altera quotidie, anodynnum quoque sub-

inde

* Vide Morton de Variolis.

inde hora decubitus desumptum, ad inflammationem cutaneam minuendam, ut aeger fauste convalescat, fere semper sufficient.

STADIUM SECUNDUM.

In hoc stadio, suppurationem laudabilem adjuvare, opera danda est :

1mo, Usum mercurii continuando.

2do, Obviam eundo effectibus irritationalis nimis magnae, ab inflammatione cutanea ortae, Catharticis, Missione Sanguinis topica, Opiatis, et Regimine antiphlogistico.

Usum Mercurii continuando.—Eruptione expleta, si generis cohaerentis vel confluentis videatur, usum mercurialium, ut in stadio primo (p. 8. 9. et 10.), aeger continuet ; dosis vero cathartici mercurialis minuatur, ut dejectiones tres vel quatuor solummodo excitet, ne vires nimis imminutae sint, praesertim si pustulae confluant. In hoc stadio, mercuri-

alia

alia imminuere copiam materiae variolosae, morbo jam formato, non expectandum est; tendunt vero obviam ire effectibus materiae in cutem effusae, eam mitiorem reddendo, indeque suppurationem blandiorem, atque interim, vi cathartica, signa inflammatoria extenuare:

Catharticis.—Haec, ut antea memorata, cum specifico optime exhibentur.

Missione sanguinis topica.—Si febris, et signa inflammatoria molestissima deveniant, hirudines partibus praecipue affectis applicentur; sed cum eisdem cautelis ac in stadio primo.

Opiatis.—Anodyna maxime in hoc stadio utilia reperiuntur, molestiam ab irritatione cutanea minuendo, et somnum conciliando. In hunc finem, dosis communis laudani liquidii omni nocte exhibeatur.

Regimine antiphlogistico.—Hoc ut antea continuetur; sed cum usu liberiori dietae cujusvis vegetabilis refrigerantis, praecipue lactis, aurantiorum dulcium, et fructuum horaeorum.

Si

Si aeger solummodo variola cohaerente afficiatur, si suppuratione usque ad eruptionis diem sextum vel septimum rite perget, et signa febrilia non valde molesta sint, nec ulla symptomata debilitatis vel putredinis superveniant, auxilia memorata in hoc stadio fatis commoda ad sanitatem restituendam plenumque valebunt.

Utcunque omittere usum pilulae mercurialis simplicis, et cathartica mercurialia imminuere, ita ut alvus bis vel ter solum dejicitur, vel, si satis soluta fit, ea quoque omnino intermittere, idoneum erit.

STADIUM TERTIUM.

Hic suppuratione laudabilis summa cura concilianda est, obviam eundo proclivitati ad debilitatem et putredinem, cortice Peruiano, elixir vitrioli acido, vino, opiatibus, cibariis farina-

ceis

ceis et acescentibus, liquoribus acidulatis et aquosis, usque aëris puri, evitando materiae variolosae in superficie corporis accumulationem ; evitando evacuationes omnes insolitas ; alvum interim servando solutam; vesicatoriis.

In stadiis prioribus duobus hunc morbum tractavimus, quasi inflammatorium ; sed, in hoc stadio, morbus, si generis sit confluentis, formam typhi induit. Inde modus tractandi necessario aliis est ; namque adhuc ad systematis reactionem temperandam evacuationibus uti opus erat ; hic vero omnes evacuationes insolitae evitandae, et tonus systematis viresque vitae diligenter sustentandae sunt. Atque, ut periodus haec morbi periculosissima est, de remediis potentioribus magis singulatim loquar.

Cortice Peruviano.—Decocti corticis hujuscemlibra una ex uncia pulveris paratur, ad ultimumque a libra una ad libras duas, quantum ventriculus ferat, quotidie sumere oportet. Hoc medicamentum a die 5to et 6to eruptionis non raro cum effectu optatissimo exhibui.

hibui. Remedium certe, cui maxima debetur fides, deque cujus viribus tonicis et antisepticis, in hoc malo applicandis, quicquid fere nobis nunc patet, Professori numero digno nostro, et jure celeberrimo, Monro,* maxima ex parte acceptum merito referimus.

Elixir vitrioli acido.—Hoc in variola saeviente, ubi debilitas maxime urget, ad ventriculum grate stimulandum, appetitumque acuendum, cum decocto corticis Peruvi-ano a scrupulis duobus ad drachmam unam quotidie rite adhibetur. Cum vero signa putredinis adsint, nempe, petechiae, haemorrhagiae, &c. a drachmis duabus ad drachmas tres, in horarum omni spatio viginti quatuor, quasi antisepticum et stypticum, cum decocto corticis Peruviani, et sub forma tincturae rosarum Pharmacopoeiae Londinensis, administrare oportet. Hoc modo usurpatum in exemplis variolae confluentis nonnullis felicissimos effectus edere observavi.

Vino.

* Vide Edinb. Med. Essays, vol. 5. p. 87.

Vino.—Hujusce ʒvi vel ʒvij exhibitio per diem, ad vires aegri sustentandas, saepe maxi-imi auxilii est; sed consuetudinis aegroti prioris, effectuumque vini evidentium, habita ratione, ab ʒiv ad libram et ultra adhibere licet. Si aeger vinum fortasse capere nolit, liquoribus aliis vinofisi, nempe, cerevisia te-nui, vel forti, * vel vino pomorum †, fre-quenter ejus vice non incassum utatur; sed compertum habeo, quod liquores omnes vi-nosi, noctem versus, parcus administrandi sunt, utpote tunc temporis paroxysmum fe-bris vespertinum potius aucturi.

Opiatis.—Vigilia et molestia, ab irritati-one cutanea, etiam in hoc stadio non raro gravia sunt; ut igitur eis obviam eamus, anodynum alterna vel omni nocte exhiben-dum; sed non interdiu: Quia appetitui, di-gestionisque functioni, quae jam nunc ad vi-res vitae sustentandas maxime valent, medi-cinae hoc genus nocere reperiuntur.

Cibariis farinaceis et acescentibus.—De-cocta varia farinacea, alica, panisque candi-dus

* Anglice Porter.

† Anglice Cyder.

dus ex usu erunt, quibus lac ad libitum, vel fructus horaeos, vel aurantia dulcia, modice sumptos, addere licet. Haec et similia, quoad ventriculi commodo accipi possint, ad vim vitalem sustinendam necessaria sunt.

Liquoribus acidulatis et aquosis usque aëris puri.—Hi, ut in stadio primo, usurpandi sunt, et, ad obviam eundum putredini, virtutibus suis antisepticis manifeste magni momenti erunt.

Evitando materiae variolosae in superficie corporis accumulationem.—In hunc finem, aegrotus indusium pileumque nocturnum quotidie mutare debet, et si habeatur cura nulla, nisi prius diligenter *exsiccata*, mutatio haec sine vel minimo periculo, docente plurium annorum experientia, fieri potest. Potro, partibus omnibus (facie non excepta) quae nlcusculis afficiuntur, ceratum epuloticum semel vel bis de die adhibendum est.

His rebus, non solum portio materiae purulentae, quae e pustulis et vesicationibus variolosis ferme continuo erumpit, tolletur;

sed etiam aeger multum reficietur, et copia materiae in ulcululis imminuta ablataque, febris et cicatrices simul imminuentur.

Evitando evacuationes omnes insolitas.—

Omnibus innotescit, in hoc stadio, periculi fontem praecipuum a debilitate oriri, inde evacuantia omnia fere nocent; et, quanquam Friend eruditus alvum adstrictam rectissime vituperaverit, attamen cathartica praescribendo, haud bene aegris consuluisse mihi videtur. Opinio haec, sententia Professoris eruditii *, confirmatur, qui in praelectionibus notat :

‘ Friend has recommended purgatives in
 ‘ the secondary fever of the small-pox ; but,
 ‘ in all the trials I have made, I cannot say
 ‘ it has succeeded ; for most of my patients
 ‘ died, and I think they do very great harm.
 ‘ I remember one patient of this kind,
 ‘ who, being extremely weak, had only a
 ‘ glyster given him, in order to open his belly,
 ‘ which procured him two copious stools,
 ‘ and he died immediately.’

Alvum

* Home’s Lectures on the Materia Medica.

Alvum interim servando solutam.—Hoc quidem in febribus omnibus convenit, quia, utcunque cibi parum solidi desumptum sit, faeces nonnullas experientia semper formari reperimus; et si in morbo putrescente non rite ejiciantur, certissime sistema stimulabunt, et febrem augebunt. Inde, si alvus non soluta sit, clyisma commune, ex lacte, saccharo, saleque paratum, quotidie injiciendum: Et etiam, si clysmatum usu alvus non apte solvatur (nisi magna debilitas interdixerit) laxativum e mitissimis, ut rite respondeat, die alterno vel tertio quoque administrare nos oportet.

Vesicatoriis.—Metus est ne vires vitae subito circa morbi acmen prostr^{er}entur; idcirco, si signa hujusc prostrationis patefcant, vesicatorium unum vel alterum, (vini interim liberiori usu adhibito) imponendum est. Si autem intra horarum spatium duodecim vel octodecim signa non meliora devenerint, praecipue si potus communes nunc respuantur, de aegro plerumque actum est.

ibidem

Si

Si vero auxilia feliciter usurpata et signa putredinis et debilitatis multum imminuta fuerint, aeger tamen, quamvis convalescens, debilis atque relaxatus aliquamdiu manserit, ad tonum systematis citius restaurandum, in usu corticis Peruviani et vini modice perseveret. Cibariis nutrientibus cujusvis generis frequenter, at copia modica, pro ratione virium digestionis desumptis, utatur, et exercitio in aëre ruris, scilicet ambulatione, gestatione, et praecipue equitatione, diligenter corpus confirmet. Denique, cathartica post variolas evitanda, nisi mitissima sint, et post debita intervalla solummodo semel aut bis iterata; aliter corpus magis infirmum reddent, et inde sanitati redeunti moram afferent.

Alia indicatio ad symptomata anomala mitiganda, nempe, convulsiones, deliria, haemorrhagias, &c. institui posset; at sufficient antedicta de methodo tractandi generali, praesertim quandoquidem hoc argumentum ex multis potissimum selegerim, ut modum exhibendi

hibendi mercurium, quasi specificum, in hoc malum tradere possem.

Hoc modo, methodum tractandae variolae generalem tradere, conatus sum.

Hujusce tractationis commoda, catharticis regimineque antiphlogistico, in stadio primo et secundo; et tonicis et antisepticis, in stadio tertio, ab hujus aevi medicis concedenda fore credo: Fortasse autem, de usu mercurii jam praescripto, non ita liquido inter omnes constabit. Ergo argumenta aliquot proferre pergam, quibus mercurium quasi antidotum contra venenum variculosum, mihi persuasum fit; et inde cur huic remedio tractando variolam, et naturalem et insitivam, potissimum confidere debemus.

1mo, Quandocunque ex usu catharticorum e calomelane, aegris sub infisionis processu os dolere incipiat, notatu dignum est, omnes jam tali modo affectos morbum aequabilius mitiusque subire.

2do, Puerulis aliquibus calomelanos doses parvulas, et ante et post infisionem, sine purgatione dedi, ita ut leniter os afficeretur, et pustulæ

pustulae non plures apparuerunt, quam in aegrotis qui catharticis mercurialibus usi fuerant.

3to, Quanquam pustulae viginti vel triginta ab infitione, absque usu mercurii ortae, raro ad pustularum variolae naturalis magnitudinem perveniant, et plerumque circiter diem sextum blande marentur; tamen pustulae totidem infitivae, sub processu mercuriali, minores blandioresque deveniunt, et die quarto vel quinto materiam opacam edunt.

4to, Pueruli quidam, e familiis in quibus seminium variolosum maxime scatuit, a me ad inoculationem calomelane rite praeparati fuerunt; sed interea, infitione nondum celebrata, contagio vel a fratre vel a forore, variola confluente, sub eodem tecto morituris correpti sunt; eruptiones tamen valde aliae evaserunt, paucae nempe, blandaequae, ut ab eis quae variolam infitivam comitantur parum distantes.

5to, Aegrotis pluribus, febre eruptiva variolae naturalis graviter laborantibus, cathartica e calomelane dosibus plenis frequenter admini-

administravi, et mirando cum successu, eruptionibus nequaquam ad signorum vim respondentibus.

Sed, ne forte argumenta jam allata quibusdam minus placeant, scriptorum observationes, sententiasque paucorum, ad hypothesisin eandem spectantes, adducam.

Boerhaavius * celeberrimus, specificum contra venenum variolosum explorari posse, plane credidit, et mercurium antimoniumque, tanquam corpora quae verisimillime tale remedium praestarent, enumeravit.

Joannes Vanburgh Tennent †, M. D. Americanus nos certiores fecit, aegrorum 8000 et ultra, sub medicamentorum processu mercurium continentium, ab infitione (uno ex 441 solum excepto) mire convaluisse; et magnum Boerhaavium, tanquam auctorem, hypothesisin specifici remedii in variolam vindicantem, laudavit.

Clariss.

* Vide Aphor. a No 1389. ad No. 1392.

† Vide Dissert. Med. practicam. inaug. Lugduni

Clariss. Mead * sectionem sequentem de variola naturali habet:

‘ Vidi olim multos in nosocomio, quos
 ‘ lue venerea contaminatos, salivae fluxu per
 ‘ mercurialia proritato perpurgare necesse
 ‘ fuerit, cum exhausto jam corpore macie
 ‘ paene conficerentur, in hanc tandem luem
 ‘ incidentes, omnes facillime salvos evasisse.’

Observatione hacce mercurii vis in variolam specifica optime probare videtur; quamvis enim auctori illo egregio, morbi mansuetudinem conditioni corporis exhaustæ attribuere, placuit; attamen experientia innotescit, plures non mercurio imbutos, sed ab alia quadam causa ad maciem redactos, morbo gravissime laborare, praecipue quorum in familiis semi-nium ejus scateat.

Dominus Tomlinson, † chirurgus Birminghamiae, plane idem notavit de morbi lenitate in nosocomio Lock dicto, et effectum hunc vi mercurii specifcae manifeste attribuit.

Dominus

* Mead de Variolis, p. 17.

† Tomlinson Comment. in nov. Method. Variolas inferendi, p. 9.

Dominus Blake *, chirurgus Bristoliae, eum nuncupat, ‘The grand antidote to the variolous, as well as the venereal virus.’

Dr Lettsom † vim mercurii specificam contra hoc virus firmiter asseverat, et ad ipsius opinionem suffulciendam, casus 15 variolae insitivae et naturalis, quorum aliquot generis confluentis erant, memoravit; in quibus mercurius, nunc per os, et nunc per cutem, optimo successu adhibitus fuit.

Nunc objectiones aliquas, quae, ut bene praevideo, contra hypothesin a me defensam adduci possunt, considerare restat. Et primo, nonnulli, apud quos vulgi opinio valet, fortasse contendent, mercurium sanguinis crasin potius solvere, et igitur in hoc morbo, qui non raro in typhum exit, male et cum periculo adhiberi. Sed huic objectioni respondere sufficiat, quod omnibus fere notum est, sanguinem aegri processum mercurii sub-

D euntis,

* Blake's Letter on Inoculation, 1771, p. 19.

† Lettsom's Medical Memoirs, sect. 5.

euntis, universe crustam coreaceam praestare, inter quam, et crasin solutam, maxime certe interest.

Objiciant alii (practicorum unius vel alterius fide, inoculare assueti, mercurio aliquando adhibito, aliquando non,) nihil aut beneficii ab usu, vel mali ab omissione, reperiri.

Sed ex eis lubenter scire vellem,
1mo, An rationem rite inierunt, de feminii discrimine variolosi in his aegrotis, qui mercurium sumpserant?

2do, An tantum mercurii, quantum ad vim ejus specificam agendam sufficeret, exhibuerunt?

3to, Anne aegrotorum numerus, quibus mercurio rite imbutis, variola inserta, satis magnus fuerit, ad conclusionem justam contra vim de qua agitur stabiendum? Objectioni temere crederetur, antequam quaestionibus hisce rite responsum esset.

Deinde, si aliquis exempla pauca adduceret, ubi mercurialia variolam insitivam subi-
turis

turis adhibita, eruptiones largiores non prohibuerint; vel ad nosocomia adiens, aegrum unum vel alterum invenerit, qui ob aliud quoddam malum prius mercurio imbutus, nihilominus, variola superveniente, graviter laboraverit.

Talia objicienti ita responderem:

Hujusmodi exempla perquam rara sunt, nihilque aliud probare valent, nisi quod, praecipue cum de materia animata agatur, conclusionum certitudini aliquid semper deesse, necesse sit. Res sunt plures, quibus specifici verissimi actio aliquando impedi-ri, et etiam irrita reddi potest. Habitus enim quidam sunt, qui remediorum, quamvis potentium, copiam, ad morbum tollendum necessariam, ferre non possunt: Et ab altera parte, remedia plura, vel ob usum diuturnum, vel ob exhibentis imperitiam, qua-
si vires proprias amittunt. Praeterea, ae-
quo jure dici potest, mercurium lui vene-
reae, corticemque Peruvianum febri inter-
mittenti, haud remedio esse; quippe quae,
subinde

subinde expectationem fallant; cum tamen vix ullus inficias ibit, ea, inter remedia, quibus in his morbis confidamus, potissime valere; Et si medicamina ulla specifica rite appellantur, hoc nomen optimo jure sibi vendicare.

Nunc fortasse autem quaeret hic aliquis, quaenam sit analogia inter mercurium venenumque variolosum? Analogiam hanc respondeo (quantum sensibus nostris pateat), acque nobis liquere, ac inter mercurium luemque venereum, vel corticem Peruvianum febremque intermittentem. Quicquid etenim de usu horum remediorum hodie exploratum est, non a ratiocinio aliquo, sed ab experientia factisque ipsis, deduci conceditur.

Denique, ex praedictis, corollaria haecce practica deducere licet:

1mo, Dum stadium variolae primum adsit, cathartica mercurialia regimenque refrigerans large et libere, magno cum successu, administranda esse.

2do, Eadem remedia, et si vix tam libere,
quam

quam in primo stadio, per totum secundum
plerumque fauste usurpari.

3tio, Ægros variola confluente gravissima-
que laborantes, viribus vitae per stadium
tertium assidue sustentatis, et evacuationibus
omnibus insolitis vitatis, aliquando in sani-
tatem reddituros.

F I N I S.

20. ДАМОНА КИДЕМ
такова я тишина, чиста синева неба
и ветер, который несет с собой
все звуки, и в то же время не слышим
других звуков, кроме звука ветра, и
здесь же звук ветра, и ветер, и звуки
самого ветра, и звуки ветра, и звуки



